

20
DE
COMPAGNIE

LEGVM ROMANARVM CVM GRAECORVM

INSTITUTIS

COMMENTATIO I.

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRIST. GOTTLÖB EINERTO

ORDINIS ICTORVM ET SENATORII IN HAC VREE

ASSESSORE

A. D. XXII. JAN. A. O. R. CIOCCCLXXXIV.

IN AVDTORIO ICTORVM

FVBLICE TVEBITVR

AVCTOR

BALTHELAS. FRIDÆR. RVMMELLI.

LEGVM CVLTOR

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBÆERORUM.



KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE

V I R Q
ILLVSTRI MAGNITIMO
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
IVRIVM CONSULTISSIMO
ADOLPHIO
CHRISTIANO
WENDELERO
SERENISSIMO PRINCIPI SAXONIAE ELECTORI A
CONSILIIS AVLICIS IVRIS VTRIVSQUE DOCTORI
SCABINATVS LIPSIENSIS ASSESSORI MERENTISSIMO
ET NVNC CIVITATIS LIPSIENSIS
CONSULI
PATRONO OPTIMO MAXIMO

VIR ILLVSTRIS

ATQVE

M A G N I F I C E



*Quaerenti mibi, multumque et diu
cogitanti, quanam re aliquod meae
in te pietatis specimen vel publi-
ce vel priuatim edere possem, nulla maior occur-
rebat, quam si hunc libellum TIBI sacrum dicarem,
TVOQUE NOMINE ILLVSTRI insignitum in lu-
cem emitterem. Et profecto, nescio, an vlla alia*

A 3

re

re et meis rationibus, et huic dissertationi melius
consulere potuissim. Fuit enim haec semper commu-
nis opinio, atque etiam nunc in omnium animis ver-
satur, auctoritate magni nominis VIRI, ad iuue-
nem, bonarum litterarum cultorem, commendandum,
aptius nihil esse. Vereor quidem, ne non T V A per-
sona satis dignus sit iste libellus exiguus nulloque ele-
gantiae cultu commendabilis. Sed quaeſo obtestor-
que, ne meo ingenio potius, quam ardori, me mea-
que ſtudia T I B I probandi, ac meam in T E obſer-
vantiam declarandi, id tribuendum putas. Dabis
igitur, VIR MAGNIFICE, hoc precibus meis ob-
ſeruantissimis, ut animum parumper a cogitatione
grauiorum rerum, quibus praesertim in Consulatu
nunc gerendo impediris, ad hanc diſſertationculam
ſereno animo vultuque legendam transferas.

Iubeat

*Iubeat vero rerum omnium praepotens Deus,
vt ciues Lipsiensis, quorum, cum omnes TIBI ob-
strictissimos habeas, vt valcas, tanti interest, ex
quacunque re, quam in salutem urbis nostrae susce-
peris, vt hactenus, ita etiam in posterum, uberrimi-
mos fructus quam diutissime percipient. Fiet hoc,
si integras TIBI animi corporisque vires, id quod
omnes vnanimi voce optant, in munera TVI am-
plissimi grauissimique partibus rite obeundis concesse-
rit, vt, quod libenter facis, diu facere, deque Pa-
tria bene mereri possis.*

*Ab eodem munificentissimo omnis boni largitore,
vt totam Domum TVAM illustrem, omnibus, quae
in humanam sortem cadant, bonis cumulatissimam
praefet, sincerissimis precibus contendeo.*

Me

Me vero ac studia mea benevolentiae et patro-
cino tuo fouendum recreandumque trado, ac
tibi spondeo sanctissime, talem me semper in te
fore, qualem maxime esse et tu vis, et me decet;
meque hoc animo esse, ut non diutius mibi ipse pla-
cere possim, quam haec mibi ratio placuerit.

ILLVSTRIS ET MAGNIFICI
N O M I N E S T V I

addictissimus cliens
Balth. Frider. Rummell.

PROOE-



PROOEMIVM.



Quo quis magis timorem natura sibi insitum
aliorum oculis subtrahere atque occul-
tare studet; eo facilius hic in illo depre-
hendetur tum, cum primum in lucem
adspiculumque eruditorum proditus, aliquod suae qua-
liscunque doctrinae specimen edendum, limatis Virorum
in omni scientiae genere peritissimorum iudiciis debet sub-
iicere. Qui pudor, si ingenuus est, vtrum vituperatione,
an potius indulgentia dignus sit censendus, mihi minime

B

dijudicare



dijudicare licet. Si autem Virorum, qui suis temporibus
maximis et sapientiae et doctrinae laudibus floruerunt, de
hac resentias audiamus: ex iis, quid hic sit iudicandum,
quisque facile intelligere poterit. Ille quidem Historiae
Naturalis Conditor, in studiis litterarum, ait, timorem
magis, quam nimiam fiduciam decere. Doctissimus vero
idemque sapientissimus Socrates se non indignum putauit,
cum ingenue fateretur, scire se nihil, praeter hoc ipsum,
quod nihil sciret. Haec cum ex tantorum Virorum ore
sint audita, quibus cum me nec ingenio audeam, nec vlla
alia re comparare; nec mihi liberaler mearum virium te-
nuitatis confessionem dedecori fore existimavi, spe dulcif-
fima fretus, me illa a benevolis huius libelli lectoribus eo
plus indulgentiae esse impetraturum. Nihil enim ardentius
opto, quam hoc, vt intelligentes litterarum existimatores,
quicquid est huius commentationis, aequi bonique consu-
lant atque errores in eo fortasse commissos, iuuenili meae
aetati benigne velint condonare. Qui vero mihi obii-
ciant, hanc materiem longius petitam, et nostra aetate pla-
ne nullius esse utilitatis; ii probe perpendant, mihi non so-
lum talis argumenti tractationem, quod etiam viribus meis
quodammodo responderet, fuisse quaerendam, sed illas
etiam ipsas leges antiquas, et si non hodie ita, vt olim, vi-
geant, tamen tanquam unicos optimosque omnis iurispru-
dentiae recentioris fontes esse considerandas. Operae igit-
ur pretium me esse facturum putaui, si ex quibusdam legi-
bus Romanis et Graecis iuicem comparatis, quae inter

cas

etas intercederet, similitudinem ostenderem. Hoc enim nemo expectet, me omnes ac singulas leges Romanas, quae fortasse aliquam cum Graccis institutis similitudinis speciem prae se ferant, hic esse enumeraturum (huius enim differentiationis angustiae eum ambitum non caperent) sed non nisi quasdam ex illarum numero selectas, veluti per transennam spectandas, proponam, ut ex iis, quantum ad meliorrem nonnullarum legum Romanarum intelligentiam ¹⁾, Graecorum institutorum scientia iuuet, possit iudicari. Sub legibus vero Graecis, non ius vniuersum, quod in tota Graecia multa per secula obtinuit, sed eas tantummodo intelligo, quas a Solone et Lycurgo, Viris, quorum simillimum singula secula vix unum et item alterum Rebus publicis concedere solent, Athenis et Spartae, vrbibus, quae semper praे reliquis Graeciae ciuitatibus, mercaturaे florentissimae fama, summo Philosophiae atriumque liberalium studio et maxima denique virtutis gloria in bellis, in primis contra Persiae reges gerendis, parta, longe excelluerunt, lata et promulgatas fuisse, accepimus.

1) Cic. de Legg. II, 23.

CAPVT I.

De diuerso modo ac ratione, a Romanis, Lacedaemoniis et Atheniensibus in legibus posteritati relinquendis, obseruata.

Si antiquissima imperii Romani tempora memoria nostra repetimus; facile inveniemus, apud Romanos de more receptum fuisse hoc, vt leges perlatae, vel in aes incisa, vel litteris mandatae, posteris in perpetuam rei memoriam ¹⁾ relinquenterentur. Id quod Romani dubio procul eo consilio fecerunt, vt improbi poenarum constitutarum notitia a sceleribus et delictis cum publicis tum priuatis perpetrandis deterrerentur atque omnibus, qui his legibus teneri deberent, spes sese iuris ²⁾ ignorantia excusandi praecideretur. Haud facile aliud quicquam hoc sapientius atque utilius potuisset excogitari. Sed Cicero, celeberrimus ille, quem Italia tulit, cum Orator, tum Philosophus, non semper ita de hac re iudicauit. In disputationibus enim suis Philosophicis, quarum multae adhuc nobis supersunt, leges scriptas modo maximis, vt decet, laudibus ornare, modo earum utilitatem impugnare solet. Cum vero omnes eius varias sententias hic recensere longius sit, quam pro instituti nostri breuitate, vnam et item alteram tantummodo in medium proferre iuuabit. Nimirum ³⁾ Cicero in praefstan-

1) *Liv. III, 57.*

2) *L. 9. π. de iur. et fact. ignorant.*

3) *Cic. de Legg. I, 5. 7.*

praestantissimis suis de Legibus libris ita disputat, vt leges
 humanas, quippe vincula a dissolutis hominibus facilime
 perrumpenda, contemnere iisque ius e solius naturae fon-
 te haustum longe anteponere videatur. Tum vero ille
 omnia rationi diuinitus nobis concessae tribuit, quam adul-
 tam et perfectam sapientiae nomine rite esse insigniendam
 existimat. Quare non ab edicto praetoris, neque a XII. ta-
 bulis, sed penitus ex intima Philosophia censet iuris disci-
 plinam esse hauriendam, laudesque legum animis morta-
 lium iam natura innatarum, quippe homine ratione praedi-
 to dignissimarum, vsque ad astra extollit. Quamuis qui-
 dem Cicero haec disputando, iis non dissimilis possit vi-
 deri, qui, consilio, nescio, quo ducti, laudando antiquiora
 recentioribus iniuriam facere cupiunt: ille tamen ⁴⁾ aliis
 locis ad salutem ciuium ciuitatumque incolumitatem le-
 ge humana, emendatrice vitiorum et virtutum commenda-
 trice, nihil melius, nihil pulchrius inueniri potuisse conten-
 dit. Si hic magis Ciceronis verba, quam rem ipsam respi-
 cas; facile fieri potest, vt illum in his diuersis sententiis
 prolati sibi plane contradixisse, existimes. Sed hoc ne-
 que in oratione nostra ponimus, neque in cuiusquam su-
 spicione relinqui volumus. Si enim rem subtilius iudicaue-
 ris; illa non tam re, quam dictu mirabilia videbuntur.
 Cum enim Cicero leges ab ipsa natura profetas humanis
 praeceptis praeferat; haud dubie notionem talis Reipublicae

B 3

per-

⁴⁾ Cic. de Legg. II, 5.



perfectae atque omnibus numeris absolutae menti suae informatam habuit, qualis memoria neque olim extitit, nec vñquam facile reperietur. In ciuitate hoc modo constituta minime quidem dubitamus, quin ius a natura ductum sine consuetudine et legibus ad optimam vitae conditio-
nem possit sufficere. Qui enim naturam, optimam ducem,
vbique sequitur, satis beatam vitam viuere est censendus.
Quare homines, si omnes boni atque nullis vitiis essent ob-
noxii, scriptis legibus nullo non tempore potuissent carere.
Sed in tanta hominum peruersitate, de qua iam Cicero sae-
piissime conquestus est, vbi multi, quod iustum et laudabile
est, vel, quia sunt aliis paullo hebetiores, non intelligunt,
vel, cum vitiis litent, dissimulant: quis dicere audeat,
aliud quid vñquam melius aut praestantius iure humano
excogitari potuisse, quod, ne vllus excusandi locus dare-
tur, litteris confignatum atque expressum, omnibus, qui-
quid agendum fugiendumque esset, ante oculos posuit, eo-
que vitae mortalium quiete transfigendae haud parum pro-
spicere studuit? Summos igitur Viros, qui legibus conden-
dis generi humano tam egregie consultum cupiuere, non
superflua egisse putemus, sed iis, tanquam optime de Re-
bus publicis meritis, iustum debitumque pretium ponamus.
Id quod facere, ipsum Ciceronem, vt supra monuimus,
minime puduit. Cum enim bene cognitum atque per-
spectum haberet, in peruerso statu hominum praefenti, le-
ges ciuiles tam necessarias esse, vt ab illo non tam posci,
quam efflagitari viderentur: assensum iis tribuendum non
quidem

quidem denegauit, hoc autem suasit legumlatoribus, vt iuris naturalis imaginem in suas quisque leges, quantum imitatione liceret, transferre inque iis exprimere deberent. Haec est, ni fallor, horum dictorum Ciceronis dubiorum sententia, haec vis verborum. Qui vero in antiquitatis studio paullo diligentius sunt versati, facile videbunt, Ciceronem, vbi leges naturales scriptis maioris facere videatur, Lycurgum, quem saepe in scriptis suis ⁵⁾ laudauit, quodammodo fuisse imitatum. Qui, quamuis non tantum pretii, vt ille, rationi humanae erroribus saepe obnoxiae tribueret, sed nouis potius legibus ferendis ei succurrendum statueret: leges tamen suas, vt mores, vitae usu referri, quam litteris tradi maluit. Plane igitur earum notitia nobis esset carendum, nisi in eius vitae scriptoribus atque in aliis litterarum monumentis hinc inde dispersae extarent. Causae vero in primis duae videntur Lycurgum invitasse, vt leges suas Lacedaemoniis non scriptas relinquenti caperet propositum. Nimirum, cum plurimi legumlatores ⁶⁾, neglecta puerorum et adolescentium educatione eaque soli parentum arbitrio relista, id unum videantur egisse, vt iis, qui contra legum praecepta peccassent, poenae constituerentur et irrogarentur: ille contra omnes animi ingenique vires eo intendit, vt, formandis publica severaque institutione atque disciplina liberorum moribus,

⁵⁾ Cic. de Off. I, 22. Tusc. Quaest. V, 3. Academ. IV, 44.

⁶⁾ Plut. Lycurg. et Lacon. X. noph. Cyrop. I. in Lacon.



moribus, ciuium peccatis obuiam iret. Non enim hic sa-
pientissimus vir ignorabat, bona virtutis principia infanti-
bus cum lacte materno veluti instillata, eorum animis ple-
rumque immota inhaerere, iisque tum ad ciuitates felicio-
res efficiendas, tum ad populos virtutis studiosiores redden-
dos, nihil efficacius esse. Summam igitur educationis La-
cedaemoniensium in eo positam fuisse inuenimus, vt libero-
rum animi a prima inde aetate ⁷⁾, obedientia erga leges
et magistratum senumque ⁸⁾ reuerentia imbuerentur.
Quare ⁹⁾ Agesilaus non male cum Xenophonte egisse est
censendus tum, cum ei suasisset, vt liberos suos Spartam
mitteret, vbi tanquam in optima sapientiae officina pree-
claram obediendi imperandique scientiam discere possent.
Huic vero rationi alia adhuc, haud leuioris momenti acce-
dit. Quis enim est, quin sciat, humanum animum natura-
ita esse comparatum, vt moribus, quam legibus scriptis,
quae plerumque inuitis ¹⁰⁾ ciuibus iniungi solent, multo
libentius obsequium soleat praestare? Nec Lycurgum haec
notissima obseruatio fugisse videtur. Voluit enim, vt ciui-
bus suis virtus, firmissimum salutis publicae fundamentum,
non legibus publicis, sed talibus inculcaretur, quae ex ipsa
confuetudine vim et potestatem sensim sensim nancisce-
rentur. Sic vero fiebat, vt Lacedaemonii, a teneris annis,
virtutem

⁷⁾ Plut. in Lycurg.

⁹⁾ Plut. in Agesil. Val. Max.

⁸⁾ Cic. de Senectut. c. 63. Plut. II. 6.
in Moral. p. 795.

¹⁰⁾ Dion. Crystost. or. 76.

virtutem colere, vitia autem auersari, assueficerent. Quan-
 quam Athenienses, forte Lacedaemoniorum exemplo du-
 citi, per longum temporis intervallum sine legibus scriptis
 viuebant: tamen perpetuis discordiis et seditionibus, quae
 pene totam Rempublicam exerterent, edocebantur, se tali-
 bus carere non posse. Quare in tanta ciuitatis miseria,
 omnium oculos in se defixos tenebat Draco, Vir maximae
 sapientiae et probatae virtutis, malo, quo respublica Athe-
 niensis laborabat, praesenti legum remedio prouisurus.
 His vero tam acerbæ et saepe immanes poenae vel leuissi-
 mis delictis constitutæ erant, vt ¹¹⁾) Demades iocaretur, eas
 non atra mento, sed sanguine scriptas fuisse. Et cum ob
 hanc ipsam poenarum atrocitatem in dies magis magisque
 in contemnum abirent; Soloni, vni e septem illis Graeciae
 Sapientibus, illas abrogandi, nouasque ferendi cura omnibus
 Atheniensium suffragiis consentientibus, demandabatur.
 Et profecto spes de Solone concepta, vt experientia docuit,
 illos minime fecellit. Sed, ne ianuam aedibus maiorem fa-
 ciamus: age, ad ipsas tum Romanas tum Graecas leges
 progrediātur, in quibus enarrandis atque inuicem compa-
 randis paullo diligentius copiosiusque liceat nobis versari.

11) Plut. Lycurg.

CAPVT II.

*De praecipuis apud Lacedaemonios, Romanos et Athenienses
magistratum generibus.*

Cum inter omnes constet, leges illas decemvirales Romanorum, a quibus, si ¹⁾ Liuium aliosque audias, omne reliquum ius cum publicum, tum priuatum originem duxit, secundum Graeciae, et in primis Atheniensium, instituta, mores et iura fuisse compositas; facile fieri potest, vt quis in hunc opinionis errorem adducatur, vt credat, Romanas leges semper et ubique cum iure Graeco consentire debere. Sed non ita res se habet. Nonnulla enim in Graecorum institutis reperimus, quae in Romanorum legibus plane desiderantur. In aliis vero rebus horum duorum populorum legumlatoribus ita statuere placuit, vt saepe legamus, leges de vna eademque re et in Graecia et Romae latae, pro diuersa Rerumpublicarum forma, sibi plane contrarias fuisse. Id quod ex ipsa legum comparatione iam instituenda facile intelligi poterit. Inter omnia vero Lycurgi instituta iure meritoque primum locum tenere videtur Senatus ²⁾ constitutio, cuius numerum octo et viginti senаторibus, proprio γεροταν nomine vocatis, definiuit. Qui cum nimiam regum potestatem populique licentiam, auctoritate

¹⁾ *Liv.* III, 34. *Cic.* Or. I, 44. *Cic.* de Legg. II, 23.

²⁾ *Plut.* in Lycurg.

auctoritate sua interposita, coercendi facultate fruerentur: hacc sane inter primas causas status, quo Lacedaemonii tam diu gaudebant, efflorescentis est referenda. Hoc enim tempore antea omne imperium vel in manibus regum crudelissime in ciues saeuentium, vel penes populum, nimia licentia abusum, fuisse accepimus. Senatus igitur a Lycurgo ³⁾ constitutus Rempublicam cum a Tyrannorum ferocia, tum ab effrenato populi imperio, tutissimam praestabat. Si enim populi vires nimis austae videbantur; senatores regum partes amplecti; ad reprimendam vero eorum tyrannidem, populi causam defendere solebant. Quanquam autem Lycurgus saluberrimo hoc instituto rationibus ciuitatis Lacedaemoniensis quam optime consultum cupuerat: eius tamen successoribus senatoria potestas tanta adhuc est visa, vt ei Ephorum auctoritatem, tanquam frenum, iniiciendam esse putarent. Annis igitur CXXX. post, quam ille morte, quam sibi inedia consciuerat, voluntaria, humanis rebus erat eruptus; rege Theopompo, ⁴⁾ Elatus, primus Ephorus designabatur, cui sequentibus temporibus quatuor adhuc alii addebantur, qui semper ex plebe in singulos annos creati, anno vertente, magistratuabant. In his vero tantam fuisse auctoritatem reperimus, vt non solum homines priuatos, sed ipsos adeo ⁵⁾ reges comprehensos in custodiā tradere possent. Ex hac magi-

C 2

stratum

3) Plut. ep. 8.

5) Cornel. in Pausan. c. 2. Xenoph.

4) Plut. in Lycurg. Aristotele, de in republ. Laced. c. 8.
republ. II, 9. Plut. in Agesil.

stratum Lacedaemoniensium forma, quanquam eius imaginem, primis tantum lineis ductis, hic adumbrauimus; tamen luculenter patet, imperium Spartae neque in vnius dominatu positum, neque solum apud optimates, aut apud populum, sed semper inter reges, magistratus et plebem pari modo diuisum suisse. In quo Lycurgi sapientia maxime elucet. Hoc enim efficit, ut Lacedaemonii, cum quisque eorum pro viribus saluti communi studeret, soli ⁶⁾, toto terrarum orbe septingentos annos vnis moribus et nunquam mutatis legibus viuerent. Haec Spartani imperii forma quam similis sit potestati Senatus, Consulum et Tribunorum plebis Romanae, nemo facile erit, quin videat. Quamvis enim Senatus Romanus Lacedaemonensem multitudine longe egredetur: tamen vterque in eundem finem, ut potentiam Regum et Consulum moderaretur, erat constitutus. Romulus ⁷⁾ quidem, Romae conditor, primus centum in patres legit: quem vero numerum deinde non semper retentum, sed saepius auctum suisse, in veteribus scriptoribus legimus. Paullo post enim, Romanis ⁸⁾ et Sabinis societate junctis, ex his centum, curiarum suffragiis, Senatui antiquiori adiiciebantur. Tarquinius Priscus ⁹⁾ vero, homo nouus et peregrinae originis, regni sui factione firmandi memor, centum adhuc, qui minorum gentium senatores appellabantur, ex praestantissimis familiis

6) Cic. pro Flacc. c. 63.

9) Dionys. Hal. III, 67. Liv. I,

7) Liv. I, 8.

35. Tac. Annal. XI, 25.

8) Dionys. Hal. II, 47.

familiis plebeiis inter Patricios et Senatores retulit, ita, vt
 ii tunc temporis iam trecenti numero essent. Hunc ¹⁰⁾
 Brutus, liberata republica, adeo non mutauit, vt potius
 eum, cum caedibus Tarquinii Superbi esset deminutus, pri-
 moribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam
 vsque rursus expleret. Hic amplissimus Ordo sub ¹¹⁾ C.
 Graccho ¹²⁾, Sulla, Iulio Caesare et ¹³⁾ Augusto, multas
 variaſque mutationes est expertus: quas vero hic omnes re-
 censere, non attinet. Vnum tantum, vt, quanta huius
 Senatus fuerit auctoritas, intelligatur, Ciceronis testimo-
 nium hic insertum legere, neminem, vt spero, pigebit,
 qui ¹⁴⁾ in Miloniana, eum templum sanctitatis, amplitu-
 dinis, mentis, consilii publici, caput Vrbis, aram Socio-
 rum, portumque omnium gentium vocat. Imperium ve-
 ro, regibus electis, cum respublica gubernatoribus carere
 non posset, ad Consules deferabatur, qui ¹⁵⁾, ne vnius im-
 perium libertati periculum foret, semper bini creati, anno
 transacto, ne ¹⁶⁾ diuturnitate imperii insolecerent, ma-
 gistratu debebant se abdicare. Maior quidem potestas in
 Consulatu, quam in imperio regum Lacedaemoniensium,
 qui ¹⁷⁾ maiori belli, quam pacis tempore, auctoritate va-

C 3

lebant,

¹⁰⁾ *Liv.* II, 1.¹³⁾ *Suet.* Aug. c. 35.¹¹⁾ *Plut.* in Gracch. *Sigon.* de
ant. iur. ciuil. Rom. II, 2.¹⁴⁾ *Cic.* pro Milon. c. 33.¹²⁾ *Appian.* *Alexandr.* ciuil. p.
650 et 688. edit Toll. *Cic.* ad Att.
I, 13.¹⁵⁾ *Liv.* I, 60.¹⁶⁾ *Flor.* I, 5.¹⁷⁾ *Aristotel.* de rep. Lac. II.



lebant, posita erat: eaque sane maxima fuissest, si Consul
luni imperium non annuum, sed perpetuum fuissest. Cum
deinde vero multi ex Patriciis eo crudelitatis, eo arrogan-
tiae essent progressi, vt plebs iniquis eorum iudiciis haud
raro sese opprimi sensisset: occasionem ex aere alieno obla-
tam audiissime arripuit, inque¹⁸⁾ montem Sacrum secessit.
Vbi, cum diu de concordia Patrum et plebis redintegranda
frustra actum esset; populus in hanc demum conditio-
nem est reuocatus, vt quinque tribuni, qui plebi contra
Patres auxilio essent, crearentur. In quorum¹⁹⁾ nu-
merum a. u. CCXCVII alii quinque adhuc peruenie-
runt. Eorum potestas tam late patuit, vt eam Ephoro-
rum auctoritati non inepte aequiparaueris. Nam
illi²⁰⁾ delectum habendum vetare, per²¹⁾ intercessio-
nem suam omnes morari, adeoque ciues, siue priuati, siue
in²²⁾ magistratu essent, in carcerem duci poterant iubere.
In vna vero re hi ab Ephoribus differre videntur. Hos enim
semper de plebe, non autem ex optimatibus creatos fuisse,
exploratum habemus. Quaectionem vero, vtrum Tribuni
plebis Romani e solo plebeio, an etiam ex senatorio atque
equestri ordine fuerint electi, soluendam Viri docti dispu-
tando huc illuc trahere solent. Sunt enim, qui ex quo-
dam²³⁾ Liuui loco, quo scripsit, tempore institutionis Tri-
bunorum

18) *Liv.* II, 33.

Val. Max. II, 2. §. 7.

19) *Liv.* III, 30.

22) *Liv.* IV, 26. V, 9. VII, 3.

20) *Liv.* IV, 1. et saepius alibi.

IX, 34.

21) *Liv.* II, 44. IV, 48. VI, 35.

23) *Liv.* II, 33. 56.

bunorum plebis, ne cui Patrum hunc magistratum capere liceret, cautum fuisse, contendant, Tribunos, cum ob hanc ipsam causam, ne Senatus in plebem arrogantius atque crudelius ageret, essent instituti, semper ex ea ²⁴⁾ creatos fuisse. Tantum quidem abest, ut hoc Liuii, tam probati auctoris, testimonium susque deque habeamus: ut potius, Tribunos de ipsa plebe primis temporibus, multos per annos, sumtos fuisse, libenter concedamus. Contra vero nemo, si eundem Liuium sequi velit, negabit, Tribunos plebis ²⁵⁾ primum a. u. CCCVI, ut voluntatem Patrum fouverent, duo patricios consularesque sibi collegas cooptasse, et, postea, quam C. Licinius et L. Sextius, Tribuni plebis ²⁶⁾, legem, ut Consules etiam ex plebe fierent, cum magna contentione, et Patribus diu repugnantibus, pertulerant, plebeios vna cum ²⁷⁾ Equitibus et Senatoribus Tribunatum plebis petere coepisse. Extremis vero Reipublicae ²⁸⁾ temporibus hoc adeo cautum fuit, ne quis, nisi Senator, Tribunus fieret. Quae haec tenus exposuimus, argumenta, eorum opinioni valde ab blandiri videntur, qui, Tribunos plebis ex Patribus, Equitibus et Plebe promiscue creatos fuisse coniiciunt. Alii vero haud temere quaestionem hic mouerunt, cur, si illud licuisset, Clodio ²⁹⁾, cuius memoria odio in Ciceronem capitali est infamata, adoptione

²⁴⁾ Suet. Iul. c. 20. Val. Max. A. XIV, 7. 8. Manut. de Legg. II, 2. ex 7.

²⁵⁾ Liv. III, 65. V, 10.

²⁸⁾ Suet. Aug. c. X.

²⁶⁾ Liv VI, 35. 42. VII, 1.

²⁹⁾ Cic. pro dom. 34. 37. 41.

... c. 40. Gell. N. ad Att. I, 18. 19. II, 12.



adoptione ab homine plebeio, antequam Tribunus plebis crearetur, facienda opus fuisset? Sed, cum in tanto opinionum dissensu nobis verendum sit, ne, si earum disquisitioni longius immoremur, a fine, quem propositum habemus, nimis remoueamur: credidimus, hanc rem paullo impeditiorem ita extricari posse, si diuersorum temporum semper ratio habeatur. Scilicet tum inueniemus, Romanos a proposito, Tribunos non nisi ex plebe creandi, sequentibus temporibus saepius declinasse. Restat, ut de forma ac ratione magistratuum Atheniensium, Romanis non plane dissimilium, paucis adhuc dicamus. Nimirum, postquam ³⁰⁾ Codrus, pro patriae salute se deuouens, in mediis hostibus interfectus, animam ediderat; Athenienses, regium imperium pertaes, nouem Archontes, initio in decennium, deinde vero, ob turpem tyraonidis pristinae memoriam, in singulos annos creauerunt. Horum primus *narr' οξων* Archontis, alter Regis, tertius Polemarchi, reliqui sex vero Thesmothetarum cognominibus diei solebant, quorum cuique sua iuris dicundi provincia administranda erat demandata. Quamuis quidem Solon huius Ordinis potestatem, maiori splendore Areopagit, a Cecropide, primo Atheniensium rege, institutis, allato, valde diminuisse: eum tamen adeo non penitus sustulit, ut potius ei tanquam proprium ius constitueret hoc, ut in ³¹⁾ Areopagum, nomen a Martis colle prope Athenas

fita

³⁰⁾ *Horat.* Carm. L. II. Od. 19.

³¹⁾ *Plat.* in Solon. *Cic.* ad Att. V, II. *de Divin.* I, 30.

sita nactum, qui munere Archontum abirent, soli legerentur. Horum vero ³²⁾ numerus aequae, ac Senatorum Romanorum, multis variisque mutationibus fuit obnoxius. Nam eum modo usque ad trecentorum summam auctum, modo ad ducentos minutum fuisse, in veteri historia legitimus. Tanta vero Areopagitae iustitiae et prudentiae gloria floruerunt, ut ³³⁾ exterae gentes, ipsique adeo Romani, ad eorum tribunal controuersias suas disceptandas deferrent. Quare etiam Cicero, in sapientia et constantia Senatus Romani laudanda occupatus, omnibus honorificentissimis nominibus exhaustis, in eo, ut illum ³⁴⁾ Areopago compararet, omnem vim et potestatem verborum creditit comprehendisse. Qui vero dignitatem, ³⁵⁾ quae summa fuit, Senatus Romani, in qua describenda supra versati sumus, hic sibi in mentem reuocet, facile ex ea, quanta fuerit Areopagi maiestas, poterit colligere. Praeter hos omnes magistratus Atheniensium, ³⁶⁾ Soloni, centenis ex singulis quatuor tribubus lectis, supremum Senatum, qui arbiter et custos legum esset, placuit constituere. Annis vero centum, et quod excurrit post, quam Solon naturae debitum soluerat, Chishenes, sex nouis tribubus antiquis adiectis, Senatorum numerum, quinquaginta Viris ex qualibet tribu

sumtis,

³²⁾ Meurs. in Areop.

³⁵⁾ Cic. pro Deiotar. c. 3. Mar-

³³⁾ Val. Max. L. I. c. 1. Lu-

tial. IV, 2. Hor. Carm. L. IV, od. 5.

cian. in Hermot. Quinril. L. VI, c. 1.

Cic. pro Milon. c. 33. Grauin. lib.

³⁴⁾ Cic. ad Att. L. I. ep. 13. Of-

fic. de Rom. imp. §. 16. fqq.

fic. L. I. n. 75.

³⁶⁾ Plut. in Solon.

D

■ ■ ■ ■ ■

sumtis, vsque ad quingentos adauxit. Ad hunc Senatum quiuis de omnibus sententiis, siue ab Archontibus, siue ab Areopagitis latis, poterat prouocare. Id quod iuri eiusdem nominis non dissimile videtur, quo, legibus ³⁷⁾ Valerii, ³⁸⁾ Porciis et Semproniis firmato et stabilito, populus Romanus ita vñus est, vt ipse adeo Dictator, quamvis provocatio ab eo non esset, tamen, vt apud ³⁹⁾ Liuium legimus, ei nonnunquam cederet. Pauca adhuc de Amphyctyonibus addamus, quorum memoriae iniuriam faceremus, si eam, cum illi Amphyctyonii Athenarum regi filioque Deucalionis, originem suam deberent, hic silentio praeteriremus. Haud cuique Graeciae vrbi, sed, vt fama est, tantum ⁴⁰⁾ XXXI ciuitatibus ius, legatos in hanc concionem mittendi, erat concessum. Hoc commune Graeciae ⁴¹⁾ Concilium vsque ad Philippum, Macedoniae regem, maximam et apud ciues et apud peregrinos auctoritatem obtinuit. Ab hoc vero inde tempore, quo ille in Amphyctyonum numerum fuerat receptus, illa in dies imminuta, prorsus demum collapsa est. Philippus enim, auctore ⁴²⁾ Demosthene, huius sanctissimi Concilii leges ita contempsit, vt adeo contra eas, cum ludis Pythicis, in quibus celebrandis Amphyctyones iudicium partes agebant, praeesse deberet, alium in suum locum subrogare non dubitaret.

CAPVT

37) *Liv.* III, 55. II, 8.41) *Cic.* de Inuent. II, 23. *Van Dalen* diss. de concil. Amphyctyon.38) *Liv.* X, 9.42) *Demosth.* in Orat. Olynth, II.39) *Liv.* VIII, 30. fqq.40) *Plut.* in Themistoc.

CAPVT III.

De Legibus Lycurgi et Romanorum agrariis.

Alia eaque audicissima lex¹⁾ Lycurgi erat de agro Laco-nico aequaliter diuidendo, in qua perferenda pro-fecto ea auctoritate, quam ille inter cives suos tenebat, opus fuisse, est existimandum. Quam, quo magis ea in Lycurgo eminuit, qui, cum iam plures annos antea Lacedaemone regnasset, in opibus suis atque amicorum auxilio maxima praesidia collocata habebat: eoleiuorem in Solone, cum sola ipsius²⁾ sapientiae fama niteretur, fuisse deprehendimus. Hic enim, quanquam populus Atheniensis nihil magis, quam parem fundorum distributionem optabat, tamen ob optimatum metum, eam publice proponere, nunquam est ausus. Apud³⁾ Romanos vero quot quantasque inter Senatum et Plebem discordias agrariae leges semper exciverint, infra pluribus exponemus. Ante Lycurgi tempora summa sane in Republica Lacedaemonensi fuerat inaequalitas, qua, cum pauci immensis opum copiis abundarent, maxima populi pars ab inopia miserrima vexabatur. Ille igitur, omnibus relictis, huic inaequali ciuium conditioni, quippe infastissimo luxus, inuidiae, auaritiae, fastus, aliorumque vitiorum fonti, occurrentum statuit. Quae vt


D 2 sua

1) Plut. in Lycurg.

3) Liv. III, 1. IV, 48. VI, 11.

2) Plut. in Solon.

VI, 35. VII, 16.



sua ciuitate penitus proscripta exularent; viros opulentissimos et precibus et minis eo perpellere studuit, vt bona et possessiones suas publice indicarent, parique earum partitio-ne facta, nemo altero potentior, omnes aequali fortuna fruerentur. Haec Lycurgi rogatio haud dubie res fuit difficultissimi negotii, et impedimentis pene inexsuperandis obnoxia. Quis enim non videat, eam, quia legi naturali, quae, alterius bona eo consilio, vt aliis tribuantur, auferri vetat, repugnabat, haud parum odiosam fuisse? Sed adhuc alia res, nescio, re, an dictu mirabilior, ad hoc accedit. Mente enim vix percipiendum est, quomodo fieri potuerit, vt ii ex Lacedaemoniis, qui omnibus diuitiarum generibus erant ornatissimi, his rebus, quae plerumque a populo, malo quidem vitae beatae iudice, in summa iucunditatis et vitae felicitatis ponи soleant, tam libenter renunciarint? Sed haec omnia Lycurgum a proposito suo adeo non deterrebant, vt etiam ad ipsam legem, de agro diuidendo, suadendam fortiter progrederetur. In qua tam felices successus est expertus, vt ea⁴⁾ non solum, dum viueret, sed multa etiam per secula post eius mortem quam religiosissime observaretur. Quodsi ad hoc exemplum neque plebs Romana tantum agrorum efflagitasset, neque Patres in concedendo tam duros se praebuissent, huius imperii status profecto multo adhuc felicior fuisset. Sed in historia Romana motuum agrariorum vestigia vbique deprehendimus.

Non

4) Xenoph, Orat de Agesil. reg. Cic. pro Flacc. c. 63.

Non solum enim Tribunos plebis, gratiae populi captane-
dae studio ductos, sed ipsos adeo Consules ad fauorem ple-
bis sibi conciliandum, de agris ex hostibus captis viritim di-
videndis, saepissime rogationes promulgasse, inter omnes
constat. Dionysius Halicarnassensis tales diuisiones agro-
rum iam sub Regibus factas commemoravit. Hae ve-
ro cum semper sine villa contentione, ex solo regum arbitrio,
sint peractae: origo discordiarum inter Ordinem Sena-
torium et Plebeium de hac re ortarum plerumque a⁵⁾ S. Li-
cinii, Tribuni plebis, quippe qui primum a u. CCCLXXXV
dicitur legem, ne quis plus quingenta iugera agri possi-
deret, pertulisse, temporibus repeti solet. Si vero Li-
vium audias⁶⁾, Sp. Cassius, qui a. u. CCLXVII Consulis
munere amplissimo perfunctus erat, primae legis agrariae
auctor suasorque extitit. Nimirum hic agrum Hernicis
ademtum, dimidium Latinis, dimidium plebi diuisurus,
huic muneri adhuc aliquantum agri adiiciebat, quem,
quamvis publicum, a priuatis tamen possideri criminabatur.
Haec vero largitio, quam aliae saepe sunt secutae, Patroni
animos summa in plebem ira armavit. Cum enim hoc
modo magnae partis nobilium fortunae publicarentur ne-
cesse fuisset: hi, in concedendo minus, quam Graeci, libe-
rales, legibus agrariis preferendis semper ita restiterunt, ut
a Sp. Cassii temporibus vsque ad Caesaris memoriam, talis

D 3

argumenti

5) *Liv.* VI. 35. *Appian,* bell. Civ. L. I.6) *Liv.* II. 41.



argumenti legem ⁷⁾, sine maximis motibus vñquam agitata, frustra quaereremus. In his vero legibus agrariis Romanorum enumerandis rationem tenebimus hanc, vt earum tantum mentionem faciamus, quae memoria ita dignae sunt, vt, nisi quis in historia Romana plane hospes et peregrinus dici haberique velit, eas non possit ignorare. Ab illo enim tempore, quo lex prima agraria a ⁸⁾ Sp. Caffio promulgata fuerat, vsque ad Legem Liciniam, seditiones quidem de legibus agrariis saepe factas, nusquam vero, eas quoque perlatas fuisse, inuenimus. Cum enim ⁹⁾ a. u. CCLXXXIV T. Aemilio et L. Valerio Coss. de agris, quos diuites possidebant, diuidendis, per Tribunos plebis agi coeptum fuisset; Appius Claudius, acerrimus huius legis aduersarius, causaeque possessorum publici agri defensor audacissimus, incredibili animi sui constantia, quicquid illi intenderant, irritum fecit. Triennio ¹⁰⁾ vero post, vbi ipse Consul Aemilius dandi agri plebi auctor fuerat, Patribus, illum tribuniciis actionibus, Senatum, ciuitatis Principem iactare, conquestis, singularis Q. Fabii Consulis prudentia hanc rem maximis difficultatibus impeditam ita expedivit, vt coloniam Antium, propinquam et maritimam vrbum, deducendam proponeret. Haec sententia, et si maxima plebis pars Romae agrum, quam alibi, accipere mallet; et tunc temporis

⁷⁾ *Liv.* II, 52. III, 1. IV, 48. et
saepius alibi.

⁸⁾ *Liv.* II, 41.

⁹⁾ *Dionys. Hal.* L. IX. *Liv.* II, 61.

¹⁰⁾ *Dionys. Hal.* L. IX. *Liv.* III,
1 - 8.

ris et paullo etiam postea, cum ¹¹⁾ a. u. CCCXXXVII Senatus vereretur, ne a Tribunis plebis de agro Lauicanio diuidendo agrariae seditiones fierent, ab omnibus ordinibus est accepta. Post ¹²⁾ biennium vulgi turbatores, Tribuni plebis, plebiscito, vt magnae partis nobilium fortunac publicarentur, promulgato rursus Senatum vexare tentarunt. Quod vero Appius, auxilio in ipso tribunatu ad resistendum improbis collegis, quaeſito, per paratos intercessores impediuit. Intra ¹³⁾ hoc tempus, quo Romanus miles tot tantoſque agros hosti ademerat, Patres persæpe opportu-
nam, plebis animos illorum diuifione deliniendi, occasio-
nem habuerant. Sed hoc non prius fecerunt, quam, Ve-
iis captis, iplis a plebe ¹⁴⁾ Senatusconsultum veluti extor-
quebatur in haec verba conceptum, vt agri Veientani septe-
na iugera plebi diuiderentur, nec Patrum familiae tan-
tum, sed omnium in domo liberorum capitum ratio habe-
retur. Hos varios motus fecuta est ¹⁵⁾ lex agraria, ab illis
duobus seditionis Tribunis plebis, Sextio Licinioque, lata,
nec indigna memoratu. Hi enim, lege, vt alter Consul de
plebe crearetur, feliciter perlata, faustis his successibus in-
flati, inter multas alias etiam hanc, ne quis plus quingenta
iugera possideret, aduersus opes Patriciorum et pro com-
modo plebis promulgauerunt. Ab hac inde lege vsque ad

Sempro-


¹¹⁾ *Liv.* IV, 47.

¹⁴⁾ *Liv.* V, 30.

¹²⁾ *Liv.* IV, 48.

¹⁵⁾ *Liv.* VI, 35.

¹³⁾ *Liv.* IV, 51.



Sempronias quietem ab agrariis motibus fuisse, tradit quidem¹⁶⁾ Appianus. Quia vero alias etiam leges, ut Cassianam, omisit; fata tantum principalia legum agrariarum persequi, in animo habuisse videtur. Si enim alios rerum Romanarum scriptores sequareis, legem Liciniam exceptit alia, a¹⁷⁾ C. Flaminio, Tribuno plebis, Senatu et in primis Q. Fabio Maximo inuito, aliquot annis ante secundum bellum Punicum, de agro Piceno et Gallico viritiū diuidendo lata. Post captam autem Carthaginem, de colonia illuc deducenda, certam¹⁸⁾ Rubriam legem promulgatam fuisse legimus. Iam ad leges Sempronias peruenimus, ab utroque Graccho tanquam faces in rem publicam coniectas: quae in primis in leges Licinia, diu neglectae, auctoritate¹⁹⁾ restituenda occupatae fuerunt. Cum enim²⁰⁾ Tib. Gracchus in lege agraria preferenda morte esset praeventus: eius frater, Caius, illam referre valde necessarium duxit. Eodem tempore a²¹⁾ M. Liui Druso, Tribuno plebis, in partes Senatus, ut Gracchorum gratia frangeretur, attracto, inter alias leges etiam haec lata est, vt vestigal agris lege Sempronia diuisi, diuidundisue, impositum plebi remitteretur, atque Decemviri agris diuidundis crearentur. Similis argumenti fuit

16) *App. de Bell. Civili. L. L.*

19) *Vellej. II, 6. App. Civ. II,*

17) *Cic. Acad. II, 5. Brut. c. 14.*

20) *I. p. 604. ed. Toll.*

de Inv. II, 17. *Cato in Origg. ap.*

Sigon. in Ant. Iur. Ital. L. II,

Varr. R. R. Lib. I. Polyb. L. II.

2. *Manut. de Legg. c. 13.*

18) *App. de bell. civ. L. I. Plat.*
in C. Gracch.

21) *Plat. Gracch. Cic. Brut. c. 28.*

fuit lex Thoria, ²²⁾ quae, Cicerone auctore, agrum publicum vestigali leuauit. Appianus ²³⁾ non eiusdem est sententiae, sed illa, vt, qui agrum publicum possiderent, eum retinerent, vestigal autem ei imponeretur, eaque pecunia populo distribueretur, constitutum fuisse contendit. Incertum est, cui, cum tamen tempus et auctor huius legis inter eos conueniat, maior fides sit habenda. Ceterum duo illius insignia fragmenta, antiquitatis amatoribus haud ingrata, apud ²⁴⁾ Sigionum extant. Hanc legem infecuta est ²⁵⁾ Sullana agraria, qua ille non vniuerso quidem populo, sed suis tantum militibus, multos Etruriae agros, in praemium laborum diuisit. Paullo post Rullus ²⁶⁾, in Ciceronis Consulatu, legem agrariam rogauit. Quae, eti non fuit perlata, eo tamen nomine memoria est dignissima, quod ingenii Ciceronis artisque oratoriae vis tam luculenter eluxit, vt cum totius populi Romani consensu ea repudiaretur. Triennio post, magnorum motuum causa fuit lex ²⁷⁾ L. Flavii agraria, ipso auctore Pompeio proposita, et ²⁸⁾ Plotiae tribuniciae, quae est incertae aetatis, paullo antea latae, valde similis. Vtriusque enim summa, ad Sullanae legis exemplum, in agris militibus Pompeianis diuidendis versabatur. Senatus vero, hac lege Pompeio mai-

rem

22) Cic. Brut. c. 56.

26) Cic. in Oratt. contr. Rull.

23) App. de bell. civ. L. I. p. 623.

27) Cic. ad Att. I, 18. 19. Dia

24) Sigan. Ant. Iur. L. II, 2.

Cass. XXXVIII.

25) Plaut. in Sull.

28) Cic. ad Att. I, 18.

E



rem potentiam quaeri, haud temere suspicatus, quo minus posset perferri, auctoritate sua impedivit. Nihilominus autem eodem anno, Dio ait, Senatus consultum conseratum est, ut militibus Pompeii et Metelli, quorum ille e bello Mithridatico, hic vero ex Cretico reueterat, agri dividarentur. Quodsi illas terrarum largitiones exceperis, quibus Caesar et Augustus, imperio Romano potiti, milites sibi magis deuincire, suunque regnum firmare studuerunt; vltimam legem agrariam ²⁹⁾ Caesar, in primo consulatu cum Bibulo gesto, de agro Campano atque Stellate XX millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi essent, dividendo, tulisse erit censendum. Haec fere est breuis legum agriariorum Romae latarum Historia. Modum, quo plerumque accipi solebant, a Lacedaemoniorum cogitand ratione tam diuersum fuisse, reperimus, vt, cum lex a Ly curgo de patrimonii aequandis Spartae proposita communi et diuitum et pauperum consensu reciperetur, illis contra pene semper atrocissima certamina et seditiones adeo foedissimae excitarentur. Evidem arbitror, diuisionem agrorum, si statim sub initio reipublicae proposita fuisset, fortasse perfici potuisse. Cum vero sequentibus temporibus magna agri publici pars hereditate, emtione, aliquis iustis titulis ad Patres esset translata: haec diuisio, cum quilibet possessionibus suis eiendiudis iniuriam sibi fieri existimaret, in dies maioribus difficultatibus non potuit non implicari.

CAPVT

29) Cic. ad Att. II, 16. 18. Suet. Caes. c. 20. Dio Coss. 38. Init.

CAPVT IV.

De Legibus Lacedaemoniorum et Romanorum Sumtuariis.

Legibus agrariis expositis, iam ordine rerum, quem Plutarchus in Lycurgi vita est secutus, ad huius leges contra luxum latas trahimur. Cum enim experientia, optima magistra, eum edocuissest, apud plerasque terrarum gentes luxuriae vitium ex nimio pretio pecuniae tributo dimanare: summam vero auri cupiditatem animis ciuium suorum inhaerere, non sine magno animi dolore deprehendisset: hanc virtutis pestem illis funditus tollere atque extirpare, apud animum statuisse fertur. Initio quidem viam, quam in agro Laconico pariter diuiso erat secutus, eandem etiam in rebus, quae moueri possent, distribuendis obseruare, ei in animo fuisse dicunt. Re vero bene perspecta, cum praevidisset, sibi cum diuitibus, si omnes opes eorum manibus aperte excuteret, grauissimum fore bellum: auri cupiditatem, cuniculis veluti actis, sensim sensimque subruere, quam, ariete admoto, concutere, maluit. Quare, omni valore auri argenteique signati sublato¹⁾, solo ferreo numero vti permisit. Hic vero, quamuis pondere grauissimus, pretio tamen tam vilis fuit, vt ad summam X minarum e loco in alium mouendam duorum boum plaustrum requireretur. Omnem autem auri argenteique usum ille, tan-

E 2

quam

¹⁾ Plut. in Lycurg. Instin. III, 2.



quam omnium scelerum materiam, tam seuere interdixit,
vt de ²⁾ auri possessione, quasi de graui scelere inquireretur,
et, qui in hac lege violanda deprehenderentur, morte poe-
nas luere deberent ³⁾. Hic paupertatis amor et haec seu-
ra Lycurgi disciplina quamdiu apud Lacedaemonios viguit;
tamdiu eorum gloriam et potestatem floruisse constat.
Hac vero lege contra auri vsum perlata, aliam de inutilibus
et superfluis artibus Spartae finibus expellendis, promulga-
re placuit Lycurgo. Retulit in harum numerum, iure,
nescio, quo, agri adeo culturam, cuius, vt reliquarum ar-
tium, exercitium, tanquam ingenuis indignum, solis fer-
vis reliquit. Sed hac lege, ni omnia egregie me fallunt,
facillime supercedere potuisset. Nam, cum in aliis Grae-
ciae ciuitatibus ferreae pecuniae nullus plane vsus esset,
eaque ab illis, vt res nullius valoris ⁴⁾, deridenda propina-
retur; artifices Spartam praetergressi, aliis gentibus, quae
talium rerum studia maioris facere solebant, quam Lace-
daemonii, operam suam offerre semper maluerunt. Mul-
ti quidem hic iudicare solent, Lycurgum in eo valde pec-
casse, quod artibus, cuiuscunque generis fuerint, Sparta
proscriptis, legibus suis tantum hoc, vt ciues fortes milites
fierent, efficere voluerit. Sed hoc peccatum leuius videbi-
tur, si perpendamus, illum, omni auri argenteique vsu atque
artium exercitio interdicto, Lacedaemoniis omnem ⁵⁾ alios
popu-

²⁾ Xenopb. in rep. Lac. C. VII.

⁴⁾ Plut. in Lycurg.

³⁾ Aelian. V. H. 14, 29 Plut. in Lyfandr.

⁵⁾ Polyb. L. VI. Plut. in instit. Lacon.

populos turbandi eorumque bona auferendi, occasionem praecidere ciuesque suos finibus tantum agri sui contineri voluisse. Quem finem sibi propositum Lycurgus felicissime attigit. Quatenus enim haec legum praecepta a Lacedaemoniis colebantur, hoc est, usque ad ⁶⁾ Lysandri tempora: eorum status laetissimus fuit. Hic primus, captis Athenis, patriae, immensa auri argenteique copia impletae, sacram maiorum diutiarum famam intulit. Ab hoc vero tempore respublica Lacedaemoniensis indies magis magisque ad interitum inclinavit, adeo, ut, moribus corruptis, non solum omnem pristinam virtutis gloriam et libertatis felicitatem amitterent, sed etiam iniunctis Romanorum armis debellati, sensim in seruitutem turpissimam redigerentur. Sed, unde digressa est, redeat oratio nostra. Nimirum, quo magis ⁷⁾ Lycurgus luxuriam incursaret et pecuniae admirationem atque amorem ciuibus eriperet: quadam conuiuiorum forma constituta, sumtuum in victum potumque faciendorum modum lege singulari definiuit. Ne quis igitur Lacedaemoniorum priuatim gulae indulgeret, obsonis atque epulis, quibus vterentur, praescriptis omnique vsu suppellestilis sumtuosae, ut vestium, lectorum et mensarum interdicto, vt omnes, sine ullo discriminine, communis veluti mensa et victu frugali vterentur, sanxit. In his *θερισίαις*, ad quae pueri tanquam ad temperantiae scholam adducebantur, singulis mensis quindeni accumbebant,

E 3

quorum

6) Xenoph. in rep. Lac, c. ult.

7) Plut. in Lycurg.

quorum nec vlli, nisi grauissima de causa, abesse licebat. Qui vero ad haec conuiua admitti desiderabant, non, nisi plurium consensu et suffragiis lecti ea poterant frequentare. Ceterum in his epulis, quarum formam Plutarchus fuisus explicauit, maxima regnabat frugalitas, ex qua, in praemii locum, bona valetudo Lacedaemoniis obtigit. Qua enim temperantia domi vtebantur, eandem etiam ⁸⁾ foris obser-
vare solebant, ita, vt, cum semper a cibis delicatis abstine-
rent, non ⁹⁾ pinguibus, sed validis et robustis corporibus,
quibus labores et pericula eo facilius sustinere possent, aliis
gentibus longe praestanter. Haud ¹⁰⁾ minori admiratione
dignam in bibendo, quam in edendo, adhibuerunt conti-
nentiam. Turpe enim ducebant, plus, quam stomachus
capere possit, sibi ingerere. Quare, vt liberos ab ebrietate
absterrerent, seruos multum vini bibere coactos atque ita
ebrios in eorum conspectum iubebant venire. Haec gra-
vissima Lycurgi praecepta, quibus et auri vsum in ciuitate
sua prohibere, et luxuriam coercere studuit, cum Atheni-
ensium moribus frontibus aduersis pugnant. Hos enim
omnibus fere temporibus summa diuitiarum copia abunda-
se, neminem fugiet. Multos igitur audimus, qui legibus
Solonis, omnibus muneris legislatorii partibus alias rite
perfuncti, eo nomine, quod Atheniensibus pecuniae vsum
non interdixerit, haud paruum vitium inhaerere existi-
mant.

8) Aelian. V. H. 3, 20. Plat.
Apophth. Lacon,

9) Aelian. V. H. 14, 7.
10) Plat. in Lycurg.

mant. Sed huic opinioni adeo non adsentiri possumus, vt
 potius causam tanti Viri defendendam libenter suscipiamus.
 Si enim Solon legem contra pecuniam proponere voluisset;
 non solum rem difficillimi negotii, sed etiam, cum omnis
 Atheniensium potestas et maris imperio, et mercaturae cul-
 tura, et opibus denique exinde redundantibus niteretur,
 dubio procul plane inutilem omnique felici successu caren-
 tem tentasset. Huius rei Solon, vt erat Vir prudentissimus,
 haud ignarus, retento auri vsu, Rempublicam seruare, quam,
 eo sublato, perdere maluit. Evidem negare non ausim,
 populum Atheniensem ob hanc ipsam causam pluribus
 ac maioribus, quam ceteras Graeciae ciuitates, vitiis labo-
 rasse. Nihilominus vero Attica regio per tot secula tam
 laete effloruit, vt multi homines, ab omnibus pene terra-
 rum locis, libertatis et securitatis fruenda causa, Athenas
 migrarent, vbi vtraque, vt dicunt, manu excepti, omnes
 artes colendi commodissimam occasionem nanciscebantur.
 Harum vero exercitium, in tanta hominum affluentia, Solon
 adeo non prohibuit, vt etiam ¹⁾) filium a parente, qui ipsum
 non aliquod artium genus docuisset, alendo, lege expresa
 liberaret et ad fouenda artificum studia, curiae Areopagi-
 tarum officium, quonam se quisque aleret quaestu, diligen-
 ter inquirendi atque in otiosos animaduertendi, iniunge-
 ret. Hac lege Solon non minus praeclare, quam Lycurgus
 et Romani legumlatores sumtuariis legibus, de ciuibus suis
 meruisse

11) *Plut.* in Solon.



meruisse videtur. Quid enim adsiduis laboribus, ad desideriam, tot vitiorum foecundam genitricem, extinguendam, aptius, quid efficacius esse potest? Minime igitur placebit Plutarchi ¹²⁾ sententia, qui, prae omnibus Lycurgi institutis, dulcedinem et αὐθούσιαν ταχολῆς, quam alii remis velisque fugiunt, Lacedaemoniis concessam maximis laudibus extollit. Quid enim inertis foscordia, omnis nequitiae magistra, humanae felicitati infestius atque perniciosius poterit cogitari? Quis vero ignorat Lacedaemonios omne tempus, quod non in corpore exercendo aut in armis tractandis consumerent, inertis otio conterere et veluti perdere solitos fuisse? Quamuis igitur Solon multis iisque grauissimis causis impeditur, quo minus Atheniensium animos contra vini pecuniae et luxuriam exinde prouenientem legibus praemunire posset; praecepto tamen de ignaviae vitio, cane peiori et angue, fugiendo, dato, aequi bene ac aliis legibus, Atheniensium commodis prospicere studuit. Iam vero instituti nostri ratio exigit, ut ad leges Romanorum sumtuarias exponendas cumque Lycurgi de hac re institutis comparandas progrediamur. Sed, antequam eas ipsas enarramus, quaedam de legibus Romanis nummariis praemonuisse, aequis iudicibus non alienum a re nostra videbitur. Hae enim a lege Lycurgi contra auri argenteique vsum lata ita differunt, ut contra, illo Romae libere permisso, nummorum, in primis ex argento conflatorum va-

lorem


12) *Plut.* in *institut.* Lacon.

lorem variis temporibus varie mutatum constituerent. Ferreo nummo, quem ¹³⁾ Serv. Tullius, nota pecudis insignitum, signandum curauerat, Romani non, nisi usque ad annum urbis conditae CCCCCLXXXIII sunt vni, quo, rebus suis ¹⁴⁾ praeda ingenti auctis, argenti cuendii consilium ceperunt. Postquam vero, Pyrrho et Tarentinis fugatis, pene totam Italiam subegerant, aureorum numerorum usum introduxere. Memoria trium legum nummariarum, si ¹⁵⁾ Plinio fidem habeas, ad nostra usque tempora peruenit. Quarum prima, Papiriana, aeris alieni dissoluendi causa, ut, qui vaciales erant, semunciales asses fierent: altera, Liuia, ut argento aeris pars octava admiseretur: tertia denique, Clodia, ut Victoriat, certum pecuniae genus ex Illyrico adiectum, reciperentur, sanxerunt. Historia vero harum legum tam spissis tenebris est inuoluta, ut cum auctores suasoresque earum, tum tempora, quibus latae fuerint, plane ignoremus. Non eadem sors legibus Romanorum Sumtuariis contigit. Per multas enim earum in litterarum monumentis traditas inuenimus. Sed, cum Romani ad suas diuitias, non solum lauissimis conuiuis concelebrandis, sed etiam suppellectile magnificentissima comparanda et amplissimis ducendis funeribus, profundendas male essent ingeniosi: facile quisque intelliget, ex tam variis luxuriae generibus necessario quoque tantum

¹³⁾ Ovid. Fast V, 281.

¹⁵⁾ Plin. H. N. 33, 3.

¹⁴⁾ Liv. I, 51. 53.



tantum cumulum legum, illius coercendae causa, latarum, esse exortum, ut ad eas omnes accuratius describendas integrum libro opus esset. Quare hic tantum eas leges sumtuarias, quae a Catone cibariae vocantur, et ex his quidem praecipuas et veluti palmarias deinceps tradeimus. In his vero exploratum habemus, legem Orchiam, a Caj.¹⁶⁾ Orchio, Tribuno plebis, latam, qua certus conuiuarum numerus praescribebatur, primum locum tenere. Variae quidem causae, quibus Orchius excitatus eam rogauerit, solent enumerari. Sed inter omnes has coniecturas eorum opinio maiori veritatis specie se commendat, qui ex¹⁷⁾ Liuiana mente contendunt, eam peregrina luxuria ab exercitu Asiatico in urbem inuecta, veluti efflagitatam fuisse. Cum vero, ut Catonem saepe conquestum esse legimus, ea male obseruaretur, abque hominiibus opulentis variis artibus eluderetur: annis viginti duo praeterlapsis, lex¹⁸⁾ Fannia condita est, cuius severitas Orchiam longe superavit. Ea enim, numero conuiuarum constituto, cibisque quibusdam interdictis, sumptus in coenas faciendos tam angustis finibus circumscriptis, ut, centum assibus plus una coena consumere, nemini licet. Vnde ea etiam a Lucilio, poeta, festiuitatis suae more, Centussis nominatur. Hanc legem exceptit post annos decem et octo¹⁹⁾

Didia,

¹⁶⁾ *Macrob.* Sat. L. III.

¹⁸⁾ *Macrob.* Sat. L. II, 13. fin.

¹⁷⁾ *Liv.* 39, 6.

Plin. H. N. L. X. c. 49.

¹⁹⁾ *Macrob.* Sat. III, 17.

Didia, quae Italica, cum lege Fannia se non teneri crederent, obsequium ei praestandum verbis disertis iniunxit. Maior adhuc in ea, quam in Fannia, fuit acerbitas. Non solum enim ab hospitibus, qui prandia coenasue majori sumtu fecissent, sed etiam ab iis, qui invitati iis interfuerint, magnas poenas soluendas exegit. Hoc loco inseveranda mihi videtur lex Aemilia, cibaria, quam et a Macrobius et ab aliis ex censu legum sumptuariorum veluti proscriptam deprehendimus. Et profecto eius memoria plane perierat, nisi ²⁰⁾ Plinius, per illam a. v. DCXXXIX. a M. Aemilio Scauro latam, ciborum genera ac modos praefinitos fuisse, nobis tradidisset. Hanc legem ²¹⁾ Licinia est secuta, quae, paucis mutatis, cum Fannia pulchre congruit. Insignis tamen ea est ad memoriam, ob maximum totius populi Romani studium atque consensum, qui in ea cum ferenda tum approbanda fertur eluxisse. Satis quidem Romani ex hisce legibus laudatis artem, gulae temperandi et modicos in coenis parandis sumitus ponendi, discere potuerant. Sed iam alius nominis vitio, puta, lucri cupidini, erat occurrentum. Roma enim omnibus temporibus non magis, quam aliae ciuitates, hominibus delicatulis caruit, quos tantum vulgarium ciborum fastidium plerumque capere solet, vt, quae in hoc genere rarissima sint, omni opera odorari studeant. Cum igitur opulentii Romani, quic-

F 2

quid

20) *Plin. H. N. VIII, 82.*21) *Macrob. Sat. III, 17. Gell. N. A. II, 24. Tertull. Apolet. c. 6.*



quid pretii venditores eduliorum postulabant, ne suae gulæ
quicquam denegarent, lubentissime soluerent: pretia omni-
uni rerum venalium in dies ita exarcebant, vt acerissi-
mae plebis de hac re querelæ quotidie audirentur. Ne ve-
ro hoc malum latius serperet,²²⁾ Sulla, Dicτatōr, inter alia
eaque saluberrima legum praecepta, nomine Corneliorum
insignita, omnibus etiam rebus, quae ad victum pertine-
bant, talia pretia imposuit, quae vel a pauperrimis commo-
de solui possent. Alia adhuc eaque grauissima huius legis
capita erant, quibus Sulla, teste Ammiano, leges sumtuari-
as antiquiores, iam senescentes, omnes reparauit. Hunc
mortuum²³⁾ M. Aemilius Lepidus, quanquam infestissimus
memoriae Sullanae erat inimicus, tamen in eo est imita-
tus, vt ad eius exemplum legem cibariam ferret. Quam
cum superiori Aemilia, ob mutuam argumenti similitudi-
nem, vnam eandemque fuisse, multi sunt, qui putent.
Hic vero falsae opinionis error argumentis ex ipsis historiæ
fontibus petitis facilissime poterit refelli, quae disserimen inter
vtriusque legis auctores et actates nos luculentissime docebit.
Nomina quidem et prænomina harum duarum legum au-
ctorum e gente Aemilia prosectorum eadem esse non au-
sim negare. Sed eorum cognomina, quibus Romani diuer-
fas vnius gentis familias distinguere solebant, ita differunt,
vt apud Plinium, suasorem prioris legis Aemiliae, Scauri,
posterioris

²²⁾ Pluz. in Sull. *Macrob.* Sat. III, 17.

²³⁾ *Macrob.* Sat. III, 17.

posterioris vero, Lepidi cognominibus dictos fuisse, in Macrobio legamus. Quid? quod haec duae leges temporibus plane diuersis sunt latae. Cum enim non dubium sit, quin eae in vtriusque Aemilii Consulatu sint conditae: M. Aem. Scaurus vero una cum M. Caecilio Metello a. v. DCXXXIX, M. Aem. Lepidus vero Q. Lutatio Catulo Collega a. v. DCLXXVI Consulatum geſſiſſe conſtet: ex hiſ emerget, ſpatium triginta et septem annorum inter haſ leges interfuſiſſe, easque ideo minime confundendas eſſe. Sed de hiſ ſatis. Iam noſ, legem ²⁴⁾ Antiam, quia non perlata fuſt, praetermiſſuri, ad legem Caesaris, Dictato-riſ, ſumtuariam peruenimus. Haec a multis quidem Viris doctiſ, qui niimiam in auctoritate ²⁵⁾ Gelli hanc legem Octauiano tribuentis fiduciā ponunt, in dubium vocari ſolet. Sed in controuersia huius rei diſceptanda, nescio, ei, an potius Ciceroni maior fides ſit habenda. Hic vero in ²⁶⁾ quadam ad Atticum epiftola, quendam Sestium com- memorauit, cui Caesar ſcripferit, ſe, ne leges ſuaſ ſe abſente negligerentur, ſicut eſſet ea neglecta, quam de ſumti- buſ in coenaſ faciendiſ tulifet, ſemper eſſe Romae man- ſurum. Si igitur Caesar praefentia ſua alioſ ad leges ſuaſ religioſius obſeruandas excitare voluit: iam ex fanae ratio- niſ principiis, illum quoque antea leges tuliffe, ſupponen- dum erit. Ex hoc vero Ciceronis loco laudato, vt ex

F 3

aliis,

24) *Macrob.* I. c.26) *Cic.* ad Att. XIII, 7. *ad Di-*25) *Gell.* N. A. II, 24.*vers.* IX, 15.



aliis, in quibus recte interpretandis ^{1o.} Aug. ²⁷⁾ Ernesti,
^{o vnu ev αγιοις}, ingenii atque iudicii sui dotes mirifice ostendit, luculenter patet, Caesarem, ut semper fuit superioribus Romanorum legumlatoribus multo acrior et seuerior in poenis constituendis, ita etiam hac lege Iulia sumtuaria omnes huius argumenti antiquiores repetitas seuerius ²⁸⁾ sanxisse. Hoc non eo dictum volumus, vt de numero legum, ab Augusto, imperatore, conditarum detractum delibatumque quicquam velimus: sed eo potius, vt, his duabus plane diuersis legibus inuicem separatis, Caesari hanc legem sumtuariam, quam ipse tulisse scripsit, tanquam propriam vindicemus. Tantum enim abest, vt Augustum legis, qua, ²⁹⁾ Suetonio et ³⁰⁾ Gellio auctoribus, sumtus coenarum festis profestisque diebus coercuit, laudibus velimus fraudare; vt etiam eam inter sua celeberima et utilissima praecepta referamus. Hae sane sunt leges Romanorum sumtuariae memoria dignissimae. In quibus, cum praeceptis Lycurgi contra luxuriam datis, comparandis, nemo facile erit, quin, haec illis valde similes fuisse, intelligat. Quem enim modum sumitibus in coniuia faciendis statuit Lycurgus, eundem in legibus Romanis praecriptum inuenimus. Quid? quod eae tam amice inter se consentiunt atque conspirant, vt sententiae ³¹⁾ Ammiani Marcellini

²⁷⁾ vid. Cl. Clc. h. v.

²⁹⁾ Suet. Aug. c. 34.

²⁸⁾ Suet. Caes. c. 43, et ibi Torrent.

³⁰⁾ Gell. N. A. II, 24.

³¹⁾ Amm. Marcell., I, 16.

Marcellini libenti animo subscribamus, qui leges Romanorum sumtuarias ex ipsis Lycurgi ~~enreatus~~ sumtas fuisse, asseruit. In uno tantum hae vtriusque reipublicae leges valde differre videntur, quod Lycurgeae diutius et religiosius Romanis obseruatae fuerunt. Hoc quidem discrimen non in vitio legum, quibus nihil salubrius esse poterat, sed potius in peruersa hominum et cogitandi et agendi ratione erit quaerendum, qua, neglecto virtutis et iustitiae cultu, vitiis eo faciliorem aditum aperire solent. Lacedaemonii quidem ex norma Lyceurgearum legum ³²⁾ septingentos annos viuentes, longius, quam Romani, scelerum illecebris restiterunt: quibus vero denum capti, a summo potentiae et fortunae fastigio, ut supra monuimus, in maximam, vnde emergere nulla ratione potuerunt, perniciem sunt detrusi. Romani vero, haud dubie vsu auri argenteique iis libere permisso, et diuitiis ab exercitibus ex Asia in urbem aduetis, magis, quam Lacedaemonii, ad voluptates allecti, in omnibus legibus et in primis sumtuariis obseruandis, sese illis multo negligentiores nullo non tempore praebuerunt. Quare eorum imperium non nisi tamdiu laete effloruit, quamdiu paupertati parsimoniaeque honos stetit, et ciues, disciplinae seuerae, sine luxu, sine deliciis, adstricti, virtutem in omnibus rebus et factis coluerunt. Hoc felicissimo statu Romani tantum usque ³³⁾ ad finem belli Punici tertii fruebantur. Capta enim Carthagine, perpetua Romanii

32) Cic. pro Flacc. c. 63.

33) Cic. de Legg. III, 10.



mani imperii aemula, cum, Italiam egressi, potentissimos atque opulentissimos reges populosque subegissent: ipsi ³⁴⁾ vitiis peregrinis immigrantibus vincebantur. Inde tot in historia Romana exempla hominum prodigorum, qui, conviuiis lautissimis et suppellectile cuiuscunque generis sumtuosissima nihil prius nihil antiquius habere solebant. Inter quos omnes, libera adhuc republica, nisi forte a Caligula et Neronе in luxuriandi artis scientia fuerit superatus, eminet Lucullus. Qui famam, ³⁵⁾ rebus in Mithridatico bello praeclare gestis, partam, vitae sequentis sordibus haud parum contaminauit. Legibus enim omnibus sumtuariis susque deque habitis, diuitias suas in bello illo artibus, nescio, quibus, comparatas, ob quarum copiam a multis Xerxes togatus est nominatus, tam ³⁶⁾ effuse absumfit, vt, nisi ³⁷⁾ Plutarchus, ³⁸⁾ Cicero et ³⁹⁾ Horatius eius facta testimonii suis confirmarent, ea credere, omnis fides abiret. Ceterum eius prodigalitas adeo prouerbio increbuit, vt, hominis luxu perditu imaginem expressurus, eum non inepte Lucullum nominaret.

³⁴⁾ Sallust. Bell. Cat. init. Cic. de Legg. III, 13.

³⁷⁾ Plut. in Lucull.

³⁵⁾ Cic. Acad. IV. n. 1.

³⁸⁾ Cic. I. c.

³⁶⁾ Cic. de Legg. III, 13. 14.
Vellej. Pat. II, 33.

³⁹⁾ Horat. Epist. I, 6.

EPILOGVS.

EPILOGVS.

Multa quidem alia grauissimi momenti instituta Lycurgi, neque legibus Romanis dissimilia, neque accuratori examine indigna, nobis adhuc supersunt. Sed, cum haec materia largior sit, quam pro angustis, quibus exercitatio-nes Academicae circumscribi solent, finibus exhaustiri possit; mihi, ne modum excedam, in his iam erit subsistendum. Id quod vero me non impediet, quo minus, si occasio tulerit, incepta persequar. Reliquum est, vt, quod iam sub initio huius libelli feci, hic repeatam. Quid enim mihi, hac dis-sertatione tirocinium in litteris deposituro, aequis Virorum eruditorum iudiciis prius, quid antiquius esse poterit? Quare, si quid mihi, elegantia iudicij Virorum, qui in cen-
sura Scriptorum ad studia et Iurisprudentiae et Humanitatis spectantium agenda facile principes existimantur, indignum exciderit: id pro sua benevolentia atque in iudicando ae-
quitate aetati, que nondum iuuentutem excessit, condon-
tent meae. Certissime vero promitto, inque me recipio,
me omni opera in eo esse elaboratum, vt diligentiam in
hoc primo meae qualiscunque in litteris facultatis specimi-
ne desideratam, in altero emendaturus, benignis illis arbi-
triis non plane indignus fuisse videar.

G

NOBI-

NOBILISSIMO ET ORNATISSIMO
AVCTORI


S. P. D.

P R A E S E S.

Quam diu exoptauit opportunam occasionem, qua, quanti-
te faciam, quoue sim erga te animo, aperire ac profiteri
palam et coram omnibus possem, inuenisse laetor, inuentamque
arripi. Quo magis enim ad hoc usque tempus a virtutum
TVARVM commemoratione abstinui, cum in familiari con-
suetudine amicum laudare, vanum atque modestis auribus mo-
lestum esse putauit; eo lubentius atque alacrius hoc die solenni,
quo me ipse laudis et doctrinae TVAE non tantum testem et
auditorem, sed et participem ac quodammodo auctorem esse vo-
luiisti, praedico animi TVI probitatem, ingenii praestantiam,
studiorum honestatem, litterarum iurisque prudentiae amorem
et in iis industriam, cum mihi ipsi contigerit, haec omnia in
TE sita esse, ex familiari consuetudine atque assiduitate, qua
scholis meis interfueristi, perspicere, et multi alii, qui TE ad-

*buc ignorarunt, ex defensione huius libelli, cuius ne minimam
quidem partem ad me pertinere, ingenue profiteor, siquidem,
nec, si voluisssem, per temporis angustiam in eo quid mutare
potui, intellecturi sint, hanc, quam reportaturus es laudem,
industriæ in addiscendis litteris adhibitae certissimum esse do-
cumentum. Gratulor TIBI hoc eruditionis TVAE publicum
specimen, votaque concipio, velit Summum Numen conatibus
TVIS porro assistere atque OPTIMI PARENTIS, quem ob-
insignem, qua me prosequitur, amicitiam, magni facio, spem
de TE conceptam et hoc specimine egregie auctam, in dies ma-
gis magisque confirmare ac promouere. De me enim sic velim
existimes, me eorum omnium, quibus TVA salus augebitur,
pro amicitia erga TE mea participem esse futurum. Vale.
Scripsi e musaeo. a. d. XIX. Ian. MDCCCLXXXIV.*





ULB Halle
006 378 986

3



1078



20
COMPLA

LEGVM ROMANAR

XNST

COMME

ILLVSTRIS IVRECO

AVCT

P R A E

D. CHRIST. GO

ORDINIS TCTORVM ET

ASSI

A. D. XXII. IAN. A.

IN AVDITOR

PVBLINE

A V C

BALTELLAS. JER

LEGVM

LIPSI

LIPS

EX OFFICINA I

